

*inter se mercurialia Baroscopia diversorum locorum, licet maxime diffitorum.* Quæ rationes sanè non sunt contemnendæ.

§. VI. Ceterùm, dum ex dictis patescit, ab aëris gravitate & levitate *Baroscopia* alterari, nō est, cur quis persuadere sibi velit, si res ita habeat, homines quoq; eam necessario sentire debere, hi enim non secus ac alia corpora aëre circumdata, æquali & uniformi pressurâ, non modo sursum sed & deorsum, imò quæquæ versû premuntur, quamdiu verò uniformi pressurâ urgemur, tamdiu gravitatem nullam sentire possumus: Si verò aër (ut loquar cum *Georg. Sinclaro L. 3. Dial. 2. in Arte Novâ & Mag. grav. & lev.*) qui infernè est, divinitus deficeret, manente aëre superiore, impotentes ad gravitatem ejus sustinendam existeremus. Videmus id ex applicatione cucurbitarum, his cutis & caro intruditur, quia aër in illis calore dilatatus, & consequenter debilitatus, æquali pressura resistere nequit. Accedit continua aëris pressura, quam à primis statim annis ferre consuevimus. Nam, qui eadem veste subinde indutus est, gravitatem ejus vix advertit: qui illis in locis, ubi præceps stridet unda, degunt, murmure perpetuo obdurati, non amplius eo gravantur, & vix aures eo percuti putant. *Sinclarus lib. 3. Dial. 2. Art. Nov. & Mag. grav. & lev. p. m. 289.* æqualem aëris pressuram nos sentire non posse hoc probat argumento: *Sentio Aëris gravitatem, quando inæqualis, & non uniformis est ejus pressura, Ergo nequeo sentire ejus gravitatem quando æqualiter & uniformiter premit.* Sequelam probat: *Quia, si aëris gravitatem sentire, sit proprius & connaturalis effectus inæqualis pressuræ, tum haud dubiè aëris gravitatem non sentire, propriû & connaturalem effectum uniformis pressuræ esse debere, quandoquidè causæ contrariæ contrarios habeant effectus.* De quibus omnibus tamen velim ut consulantur prolixius tû allegati Autores, nimirum *Dn. Otto de Guericke in experimentis Nob. (ut vocantur) Magdeburg. de Vacuo spatio. Lib. 3.*

Cap.